



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 8. Hominis in bestias dominium apparet, ex Eua serpentem non horrente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Ex quo fundamento duplex quaestio soluitur, cur nempe Eua non horruerit, cum serpente colloqui? & quamobrem, etiam post peccatum, homo dicatur Dominus bestiarum?

§. XIII.

Homini in bestias dominium apparet, ex Eua serpentem non horrente.

Ad primam quaestionem quod attinet;
1. Constat Eua à serpente seductam. 2. Constat, non seductam à naturali serpente; qui quia ratione, & sermocinandi facultate est destitutus, cum Eua naturaliter colloqui, & de imposito praecepto disputare non potuit. 3. Constat, Eua à diabolo propriè ac principaliter deceptam.

Sap. 2. 23. *Quoniam Deus creauit hominem inextinguibilem, seu quodammodo immortalem, & ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiit in orbem terrarum.* Et, ut Christus Seruator ait: *ille erat homicida ab initio; quia primos homines ad peccatum, & per peccatum ad mortem induxit, mortiq; obnoxios fecit.* 4. Constat diabolum, per os serpentis, eo modo, locutum fuisse, quo solet aliàs, per energumenos verba humana formare, ac loqui

loqui linguis, quas ipsi etiã arreptitij nunquam intellexerunt; aut quo pacto bonus angelus, per asinam, Balaam malè euntem Num, 22. castigauit. His ita se habētibus, posset me- 30. ritò quispiã scripturæ imperitus quærere. Cur serpente omni callidior cacodæmon, illis exuuijs, aut induuijs vsus sit? Ineptè enim laruam formidabilem inducit, qui vult blandiri; neque terrere debet auceps aues, quas vult fallere. Cùm igitur serpentis aspectus sit horribilis, incallidè posset videri fecisse insidiator ille, quando, in serpente, Euam compellauit. Sed profectò incallidè non fecit, cùm illi cognitissimum esset, ita tunc animal omne hominis esse in potestate, vt nullum Euæ nocere, nullum ei horrorem, aut timorem iniicere posset.

§. IX.

*Serpentis cum Eua collocti forma
& pulchritudo.*

Sunt qui existiment, serpentem maximè opportunum fuisse ad Euam deliniendam, ac iucundissimè deuinciendam, cùm astutissimus humani generis hostis vtiq; non deformem aliquem, sed vnũ de venustioribus delegerit, quem Scytalem vocant, de quo

Z Solinus